

nec certum constanſque in humo barbara domicilium eſſet, facultas non ſuppeteſcit erudiendi quos obiter baptizabant : quique priſtinos in mores revoluti, Chriſtianum vix retinebant nomen, illudque popularibus vitiis conſpurcabant. Prima Patribus cura fuit ut facellum conſtruerent, perdiſcerent linguam vernaculam, excolerent Gallos, qui è veteri Francia in novam navigaverant. Inſtituta eſt ſolemnis ſupplicatio; Chriſtus ſanctiſſimi Sacramenti velo tectus, & quanto fieri potuit maximo apparatu circumvectus, in terræ felicitatis, tot ſanctis poſtea frequentandæ veluti poſſeſſionem auſpicatò venit. Proxima infantibus ſacro lavandis fonte cura eſt data, quorum nonnulli, poſt ſuſceptum ſalutis ſacramentum, ad terram viventium poſſidendam, quaſi gentis totius nomine, demigrarunt. Puellam annos natam novem, oppreſſam gravi morbo, parentes abjecerant. Cum enim artis medicæ prorfus ignara natio ſit, ægrotos facile deſperat, neque cibo, aut curatione ulla, juvat. Depoſitam Patres à parentibus poſtularunt, ut expiarent lympham ſalutari. Ultro illis permiſſa eſt, quippe quæ inſtar mortui canis haberetur. Abductam in mapale ſeparatum curavere ſedulo: edoctam, quantum erat neceſſe; baptizatam, ac nona poſt luce mortuam, cœlo intulerunt. Eadem Sociorum caritas lætiores exitum in juvene fortita eſt. Ejus pater Membertous, primus omnium, uti narrant, barbarorum, cum è Gallia navigatum illuc fuit, in Chriſtianorum numerum venerat; homo ſtrenuus, & omnium popularium teſ-